

et perpetuam esse Ecclesiae sententiam,
acceptam à Prophetis & Apostolis, de
uno uero & æterno Deo, & tribus per-
sonis, patre, filio, & Spiritu sancto, &
hanc sententiam, in symbolo apostolo-
rum comprehensam sic semper intellectã
& expositam esse in Ecclesia ab Ignatio
Ioannis Apostoli discipulo, & eius con-
discipuli Polycarpi auditore Irenæo, de-
inde etiam ab eo, cui Petrus manus im-
posuit, & successorem in Ecclesia Ro-
mana constituit, Clemente Episcopo,
præterea à Tertulliano, Cypriano, Cle-
mente Alexandrino, Origene, Grego-
rio Næocæsariensi, & tota synodo An-
tiochena, quæ diu synodum Nicenam
præcessit, nos hanc sententiam, Serueti
præstigns opponemus: & iuxta hanc
scripturam Prophetica & Apostoli-
cam interpretabimur, nec sinemus nos
abduci aut abstrahi ulla sophistica, à cla-
ra, firma, & perspicua Ecclesiae doctrina
quæ etiã in synodis & symbolis Niceno,
Cōstātinopolitano, Ephesino, et Chalce-
donēsi est copiose declarata & illustrata.
XXX. Venio igitur ad secundum
librum Serueti de Trinitate in quo co-
natur eludere testimonia scripturæ de

B ñ tribus